



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum V. Per tuas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ram, & titulum actualem, sicuti explicavi
in *disp. de Prælati* q. 208.

Secundò. Sacri Canones ad imitationem
civilium legum reprobanda pacta, si fiant de
futura successione in beneficio, quæ causa
est, cur, beneficiario vivente, non tantùm
conferri non possit, sed nec promitti bene-
ficiùm c. 2. de concessione præbendæ. At verò
si beneficiùm, vivente Rectore ejus, incor-
poratum, sive in proprietatem concessum
sit, monasterio, dignitati, vel præbendæ,
mortuo vel remoto beneficiario locus non
est successioni, quia beneficiùm secundùm ti-
tulum principale vacare non censetur, sed
extinctum esse juxta ea, quæ docui *lib. 4.*
tit. 2. c. 9. n. 2. & consentit Clement, 2. de
rebus Ecclesiæ non alienandis.

CAPITULUM V.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Nobiles quidam Episcopum Florentinum
persecutionis, & schismatis tempore, do-
mini sustentarunt; sedato verò schisma-
te Episcopus ex mandato Alexandri III,
remuneracionis loco dedit ipsis in feo-
dum quatuor modios terræ, & successor
ipsius secundùm morem ipsos in feudo
investivit. Verùm cum nobiles datam sibi
terram menturari curassent, non nisi duo
tercæ modij reperti sunt, ideòque feo-
dum integrari postularunt. Super hac
re dubitavit Episcopus Florentinus, pro-
pterea, quòd nobiles possessionem partis
adijciendæ non haberent, & ideò Episco-
pus eos de novo investire videretur, num
id ipsi liceret. Respondet Innoc. III. cum
Ecclesiæ in actibus suis fraudem ullam
committere non debeat, quòd Episcopus
secure possit feudum integrare, quando-
quidem infeudatio super quatuor modios
facta fuit nobilibus.

SUMMARIUM.

Ad fraudes cavendas, etiam contra
Ecclesiæ ad supplementum agitur.

Notandum primum. Episcopus, aliùsve
Prælati propter insidias, & vitæ pro-
priae periculum licet se ad tempus abscon-
dere, vel ab Ecclesiâ discedere potest, ita
tamen, ut interim ea, ab hostibus fidei de-
trimentum non patiat, alioquin bonus
Pastor animam suam ponet pro ovibus *Joan.*
10. & ita docet *Innoc. in c. nisi n. 4. de re-*
nunciacione.

Notandum secundum. Justa causa est,
rem immobilem Ecclesiæ in feudum conce-
dendi ob remuneracionem beneficiorum
præstitorum Ecclesiæ, vel Prælati intuitu
Ecclesiæ. Ita *Abbas hic n. 2.* sicuti enim Ec-
clesiæ ad liberandum Prælatum à gravi peri-
culo ex pietatis lege, si opus sit, etiam bona
immobilia alienare potest, ita multò magis
in remuneracionem ejusmodi beneficij, vel
obsequij, in feudum dare, adhibitis tamen
juris solemnitatibus.

Notandum tertium. Ad Ecclesiæ, &
Ecclesiasticos maxime pertinet in actibus,
& contractibus ab omni fraude abstinere, &
conventa fideliter adimplere. Ita sumitur
ex *hoc c.* & videri potest *Gl. in antient. hoc*
jus v. ut plus causa 10. q. 2.

Notandum quartum. Si cui titulo feo-
di, vel venditionis acquisitum sit jus ad
certam quantitatem agrorum, v. g. quatuor
jugera, & traditio facta sit minoris quan-
tatis, agi potest ad supplementum, v. g.
duorum jugerum, quæ in mensuratione de-
sunt, nam iste est error facti, qui involun-
tarium operatur in decepto, sicuti *Imola*
notat n. 5. quare inanem in hoc casu ser-
vulum habuit Episcopus, quasi de novo
aliqua fieret infeudatio duorum jugerum,
quòd eorum possessio antea acquisita non
esset; satis enim est, si infeudatio quatuor
jugerum antecessit, per quam jus acquisi-
tum fuit nobilibus vasallis, ut ejus vigore
traditionem petere, possessionemque acci-
pere possent. Ita colligitur ex *hoc c. secun-*
dum integram lectionem.



CAPI-